


Biblioteka Jagiellońska
stdr0010445

SEPTIPENNA GENTILITII HONORIS

Supra mortalitatis humanæ Vallem,

In

Gloriæ Immortalis fastigium

EVECTA,

Et ad funebre monumentum

ILLVSTRISSIMI DOMINI

D. FRANCISCI BERNARDI MNISCHECH

De Magna Konczyce,

CASTELLANI SANDECENSIS,

Capitanei Sanoceñ. Sczereceñ. Dembouececñ. &c.

Parentalibus Elogiis

Explicata.

ILLVSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,

D. GEORGIO VANDALINO MNISCHECH,

De Magna Konczyce,

Capitaneo Sanoceñ. Sczereceñ. Dembouececñ. &c.

A Condolente Iuuentute Crosn. Colleg. Societ. IESV.

Communes inter lacrymas.

PROPOSITA.

Anno Dñi. 1662.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cezari S. R. M. & Illustr. ac Reuerendiss. Principis, Episc. Crac. Typographi.

In stemma Illustrissimi Domini,
D. FRANCISCI BERNARDI
MNISCHECH,
Castellani Sandeceñ. &c.



Lechica Vos cidaris, Vos Mitræ Cæsaris ornant
Pennæ, Mors, Aquilis, asseret inde Poli.

PRÆFATIO,

Ad Illustrem & Magnificum Dominum,

D. GEORGIVM VANDALINVM, MNISCHECH,

Capitaneum Sanocensem, Sczerecensem, Dembouecensem, &c.

SEptipennam Tibi, Illustris ac Magnifice Domine, qualem eo nomine gloriosissimæ recordationis Illustrissimus Parens Tuus dixit, & quàm obitu suo atque funere effecit mærentem, inter Parentales lacrymas hodie, communemq́ luctum omnium proponimus. Mærorem illa à suo, Gentilitio Tuo accepit struthione, à quo & vates auspicatus suum. Faciam, inquit, luctum quasi struthionum. Micheæ 1. *Quanquam verius fleuit, cuius non stemma dolor est, sed res ipsa animi: tamen & vmbratilis luctus à genuina lugendi procedat natura necesse est. Sed & solatij monimentum à Septipenna sit, quam Illustrissimus Parens non tam solido lapide in arcem, quam solidis virtutibus in amplissimum Nominis & gloriæ domicilium erexit, nos Septena Elogiorum commendatione ad parentale officium munusq́ excitauimus. Penna inuictæ volucris est, ferrum & dura omnia Consumentis, aut quod ante maluissem effatum.* WISNIOVIECII *Ducalisque Honoris Gentilitius, ac obarmatus Eques Generi Vestro & Sanguini Cognatus, Coniunctusq́ luctum omnem districto manus gladio effindere valentissimus. Aut demum, si primum omnium, in vltimum & maximum doloris remedium differre vi-*

debamur, mærorem hunc, quâ valet admiranda inter literatos Sapientiâ, magnitudine animi inter Viragines. Religione ac Sanctimonia inter Diuas Dux & ipsa Sororq; Excellentissima, dissuasura atque alleuiatura est. Præcipuum & ingens doloris est solatium à doloris Societate, maximum remedium à Magnorum solatio. Iam quidquid exigua hæc & minima prope modum libelli contentio intendit euincere, poterit profectò, si hanc Magnitudine Vestra ampliare & erigere velitis & perbeneuole acceptare, quod Vestrum totum & Vestris Nominibus vectigali censu sensuq; voluimus esse mancipatum.

Illustriss. & Magn. DD.

Serui obsequentissimi

Rhet. Cross. C. S. I.

I. Prin-

I.

Principem date paginam VIRTVTI, MNISCHIANÆ PANEGYRES.

Hæreditariis primæ & propriæ de Bonis.

Nemo felix alieno,

E T

Precaria est felicitas non ex se nata,
Peregrinæ opes de censu alterius recensitæ,
Veræ sunt ac genuinæ in ærario animi congenitæ,
Collectæ non sunt ab vsura, à tenero collactaneæ, ab vsu adultæ:
Hæredem malo quàm Tenutarium.

R E L I G I O N E M.

Cœlitum Genus,
Regnorum Coronam,
Terrarum Magistram,
Ita coluit Senator hic Dignissimus,
Vt ei Senatum animi sui fecerit singularem,
Religionem quippe in summis habere summa Religio est.
Et nunquam dignitas maior vlla quam à Religione quæsita,
Nunquam securior quam cum Religione possessa,
Nunquam decentior quam de Religione commendata.
Cæteræ enim Virtutes admirationis tantummodo multum
Religio verò & pietas etiam virtutis habet plurimum,
Et Philosophicum & Politicum est.
Eam igitur quam vnicè in vita coluisset,
Vt sibi diuturnam immortalemq; faceret
MORTALIS ESSE DESIIT.

II.

P R V D E N T I A M

Rerum animam,
Abditorum Lyncem,
Editorum atque summorum Aquilam.

Consi-

Consiliorum vi & pondere grauem,
Ingenio promptam, iudicio rectam,
Vsu facilem, difficilibus parem.
Domi forisque indiuiduam circumtulit.

Nimirum

Prudentia est prouidentia futurorum,
Præteritorum oculus,
Præsentium Norma & Ratio,
Viuendi & agendi recta Amussis.

Illam igitur,

In primis adhuc annis superiorem annis,
In longæua ætate parem ætati,
Cum Sapientiæ omnis prouentu,
Tum Consiliorum euentu optimo probauit.
Ita enim si Consilium domi fuit, bella foris decreta,
Et rationem magis quam galeam militare posse,
Stylum primò tum ferrum dimicare,
Et quod militare est Consilio vincere,
Humanum Consilio egere
Ita Consilium dare, Diuinissimum est.
Id verò vnicum optimè consultum ratus
Tandem Æternitatis concilio se censeri.

III.

IVSTITIAM

Pacem Populorum,
Vitiorum Bellum,
Veri custodem,
Errati arbitram,
Iuri compositam, oppositam iniuriæ,
Pretio omni, pretiosiorem effecit,
NVLLO QVIPPE AVRO VENALEM,

Quia

Quia nullius appetens fortunæ, suæ competens:
Aliàs quæ petit æquitas, non agit iudicia sed gratias,
Nunquam ea munere non corrupta;
Si cæca est, auri luce fit lyncea
Si oculata exoculata est:
Splendens Aurum perstringit oculos, optimè Varro.
Vtraq; nutat auro statera lanx,
Vilior quæ summa,
Scilicet neutra suum centrum non petit,
Extorris terris æquitas Cœlum,

Aurum Terram.

Eandem

Nulli non negotio indiuiduam planè fecit,
Sine qua non diuidi tantum
Sed omnino dissipari hominum Societatem,
Concentumq; & harmoniam eiusmodi
Si in vno delinquat in omnibus deperire
Lipsio subscripserat.
IVSTITIAM
Cum in alijs eximie laudaret
In se gloriaretur.
Optimum enim est laudis argumentum, si in te non desit,
Iustitia Iustissima si te probauit.
Tantus igitur Iustitiæ Auctor Cultorq;
Iusta Parentalia solui sibi meruit
ÆTERNITATE.

IV.

LIBERALITATEM

Census priuati profusam, tenacem publici;
Ne tamen prodigalitatem aut parsimoniam dixeris,
Nunquam erogauit amplius, quàm qui negauit alienum,
Aut minus impertit, quàm qui perdit de suo.
Quanquam inuenisse est, dedisse beneficium,
Neque amissam stipem, emissam in egentes,

Absq;

Absque tributo tributam,
Vni quippe Munificentiæ lucro intentam
D E D I S S E.
Vnicum spectantem remunerandi fœnus
à qua nihil expectaret
I N D I G E N T I A M.
Beneficium etenim non est, sed debitum, quod quæsiuit dandi vicem.
Vltro ac sponte impensam,
Parem Diuinæ, precibus priorem,
& non rogantibus erogatam,
Nam excedit hominem spontanea Humanitas:
adeoq; extra sensum est
Quæ ante aurum quam aurem accommodet.
HOC VNICVM LIBERALITATIS
Septipennæ suæ Castello munimentum posuit:
Illius Aemiliani & quotidiani gnarus
Nullum esse imperium tunc, nisi liberalitate munitum,
Hanc potissimùm
Inimicæ contentionis sumpsit vltricem
Beneficiis sese vindicare.
Nec tantùm Romanum, sed & Polonum ratus
Beneficium & potentiam vinculum esse concordiæ.
Cumque in calamitosos maiore,
Tum in Amicos propensiore munificentia vsus est.
Ergo
Dum ex Munifica liberalitate donat sua
Vitam dedit DEO.

V.

T E M P E R A N T I A M
Frugalitatis Matrem,
Virtutum condimentum,
Abstinentiæ Magistram,

Vitæ

Vitæ & incolumitatis Arbitram.
Quâ aliorum Luxus euerberaret,
Abdominis mancipia odisset,
Amori & cordi summè habuit.
Eâ demum parsimoniâ liberalem vitam,
Illa temperata fame annorum satietatem,
Illa vnica siti, ætatis emanare profusionem,
Illa conuiuia in viuendi prorogari lustra,
Cum in se probauisset
Tum in alijs Condocuit.
Nunquam igitur Ægritudinis lessum facit
Cum sui Magistra temperantia Lessij consentiens,
Aut afflictione cor Affecit
Impressâ sibi Ludouici Cornari abstinentia recreatum,
IN EO LVDOVICO
Ludere & eludere, valutudinis vices potuit,
In Eiusque Ludo edoctus Seriò
Copiam omnem abstinentiâ temperari.
Immensum prope Mensæ Malum Linguam
Cum Palati nimium negauisset,
Nefandum fandi Libitum frenauit.
Simulque
A Parsimonia Epularum
Parsimoniam verborum
A temperantia moderationem animi
Et ab eo verboso silentio. Consilia super Mensis ferri,
Interq; lances & edulia prudentiæ lance
Libratas sermocinationes conferri potuisse.
Ergo

Illi

Illi parsimoniæ persauentes Parcæ
Postquam diuturnitatem vitæ protenderant
Mortem Æternitate donauerunt.

VI.

FORTITVDINEM,
Vellem adessent hic Regna aliena & imperia,
ITALIA, GALLIA. GERMANIA.
Vbi
MNISCHIANA BELLICA RES
Tot meruit monumenta,
Quot fecit Victorias.
Superessent Vtinam
Reges etiamnum Peregrini & Imperatores,
Vt suo basilico suffragio,
Regio Honore,
Imperatorio sensu commendarent:
Quantum Mnischiano deberent ferro
Cui aurum suum Coronarium,
Sceptra gladijs deberent.
VALERIANVS MNISCHECH
Sub OTTONE III. Imperatore Belli Dux,
Non minor quantumuis Crescentio,
ET POLONVS SVPPAR ROMANO:
Postquam hostem hunc Exarcham terruit,
Suis vulneribus sese Militem,
Sanguine sanguinem Heroum,
Morte Marti Cognominem esse probauit.
Ita tum demum. Victrici Familiæ
Comitatum in Magna Konczyce

Fauore

Fauore cruento, citra omnem inuidiam adeptus,
Vltra fortunam Sanguine transcripsit Hæredem:
VANDALINVS MNISCHECH.
Sub Rege Primum Galliarum,
Postea Christiano Imperatore
CAROLO MAGNO.
Generosissimus Militiæ Dux,
Cæsareum Nomen Magnum
Bello & Victorijs
Summum reddidit.
VANDALINORVM FAMAM ET GLORIAM
Virtute felicitateq; bellicâ
Maximam fecit.
Tot ergo Tantorumq; Maiorum
Et Auitæ Fortitudinis Hæredem Illustrissimum Dominum
FRANCISCVM BERNARDVM MNISCHECH
Inuicta Mors
Inuicta necessitas,
Fata ineluctabilia
Terris nunquam satis Viuentem
Cælo maturauerunt.

VII.

HONORES
Virtute & factis commeritos fuisse,
Dabo præsentius
In Patria ipsa Regnoque Poloniarum
Testimonium oculi, quam Styli,

Qui-

Quicunque
Mnischouianam Illustrem togam purpuramq; spectauistis.
NICOLAVS VANDALINVS MNISCHECH
à SIGISMVNDO PRIMO
Non postrema dignitate Ornatus,
Mundo Polono, quem ipse Nomine complexus,
Regnoque tuendo
Cui Nicolaus à suo etymo Victoriam ominatus,
Senator Paterq; Patriæ additus.
ET à SIGISMVNDO AVGVSTO
Ad eadem iterum amplissima Purpuratorum Augustalia
Vocatus,
Prudentiâ Reipub. commodis;
Sapientia Senatui,
Consilio Conciliis,
Auctoritate Ciuibus,
Præfuit profuitq;
Et tum
Quamcunq; Augustus mortuis pæne legibus sufficit animam,
Quam mutis tabulis vocem dedit,
Nam hactenus conditæ leges reconditæ fuerunt:
Quòd
Emersum primò à Balthico mari monstrum
Lutherana hæresis
Augusta Maiestate obruta esset,
Malumq; in sui limine & initio eliminatum,
Huius vnius & aliorum Senatu,
Purpurata Auctoritate,
Augustâ eum Augusto mente & animo effectum est.
Quod

QVOD SIGISMVNDVS I.
Basilium Magnum Moschorum Ducem
Minorem bello Primo,
Secundo prope nullum fecerit Confeceritq;
Ipse Boristhenes 40. Millium Moschorum cæde inundans
Cæsorum à Sanguine
Omnino intra veritatis litora fidemq; erubuerit,
Regali purpuræ,
Purpuratorum consilijs,
Nicolai huius Victoriarum Nomini & Omini dedit.
GEORGIVS MNISCHECH
Stephani primùm Regis Sapientissimi
Et sui Nominis Coronamentum,
SIGISMVNDI postea III.
Et Senatorii Ordinis auctoramentum,
Sandomiriæ suæ Palatinus Honor,
Quâ laude & dignitate effloruit
Septemtrionis deserta & inculta senserunt,
Moschorum clade & cruore perpluuia
In Lauros Polonas & Palmas fecundata:
Nunquam profecto fortunæ laudumq; sterilia,
Si insita semel fide
Fidem traxissent in stirpem.
Aut ipsa Moscua Amicitiæ & Cognationis Mnischianæ Socia Consorsq;
Ex sorte Candoris ingenio non vitiauisset.
Nunquam enim perditissimi aliò, quàm eunt sese perditum,
Et nunquam non Moschus strage mulctatus cuius fides stratagema fuit.
HVCVSQVE IGITVR
Regibus & Regnis cara vnicè cultaq;
D
In

In Senatu continuata,
In Patria Auita,
In Prouinciis accepta,
In officiis probata,
In prosapia & genere producta,
Meritorum & dignitatum Series,
In hoc vno Senatore
Collecta demum ∵
Quo Rempublicam illustrauit Splendore
Tantum post vmbras letales
Luci maximè publicæ & immortali transcripta est.
Cæterum

Septupla quod scripsit, Generosum est Penna Nepotes.
Vobis porrigitur. Scribite Digna Patre.



13 Z

P. l. ul.

Hist. Polon
6 Sprv

23

